

heresi. aliisque nonnullis emendatione dignis que de ipso rome fuerant audita. Anno domini Millesimo septuagesimo quarto Alexandro papa defuncto. Hilteprandus qui postea Gregorius dictus est professione monachus & archidiaconus romae sedis successit. Sub quo romana res publica et omnis ecclesia nouis et inauditis scismatum erroribus periclitari cepit. Qui cum absque regis consensu. solis tantum romanis fauentibus hunc apicem conscendisset. sunt qui illum non canonice constitutum. sed tyrannice papatum sibi met assuerunt usurpasse. pro quo a rege & a nonnullis aliis episcopis abdicatus est. Hic regem heinricum crebris nuntiis et episcopis denuo ad synodalia responsa vocauit. Vnde ait in quadam epistola ad vniuersos teutonici regni principes missa. Audiuimus quosdam inter vos de excommunicatione quam in regem fecimus dubitare ac querere. vtrum iuste excommunicatus sit an iniuste. Admonuimus eum ut penitentiam ageret de factis suis. verum ipse indigne ferens se a quoque reprehendi. non solum a perpetratis ad emendationem reuocari non potuit. sed ampliori furore correptus non prius cessauit. donec omnes fere episcopos ytalie. In teutonicis vero partibus quotquot potuit circa fidem christi naufragare fecit. dum eos beato Petro et apostolice sedi debitam obedientiam et honorem a domino nostro ihesu christo cessam abnegare fecit. Pro hiis illi causis primam videlicet. quod ab eorum communione qui pro sacrilegio et reatu simoniaci heresis excommunicati sunt. se abstinere noluit. Deinde quod pro criminosis actibus penitentiam non dico suscipere. sed nec promittere voluit. synodali iudicio eum excommunicauimus. Item in alia epistola dicit. per datam reconciliationem solam inquit ei communionem reddidi. non tamen in regno a quo eum in romana synodo deposueram restitui. Et quibusdam interpositis. Episcopi inquit et principes ultra montani audientes illum non seruare quod michi promiserat quasi desperati de eo sine consilio meo elegerunt sibi Rudolphum in regem. Anno domini Millesimo septuagesimo septimo Rudolphus indigena de suenia. que regalis omnino stematis est aliena. mediantibus Sigifrido metropolitano et Adelberone Virzigeni episcopo. Berchtoldo quoque duce carinthie. aliisque nonnullis principibus in presencia quorundam romae sedis legatoz non voluntarie annuencium. apud Forcheim in regem eleuatum. a quibus etiam deductus magunciam in medio quadagesime. xii kalen-